I.
P. 6997.
C

6997 I. L. c. 2 l.

# APES ACADEMICÆ OPEROSORUM LABACENSIUM,

SIVE

INSTITUTUM, LEGES, [illegible], NOMINA, [illegible] NOVÆ ACADEMICÆ [illegible]

[illegible] SYMBOLO

LABOR ADUNAT [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] in primo [illegible]

Ad

PROCERES [illegible]

DICTA

[illegible] Apes, [illegible]

[illegible]

[illegible] Superiorum.

---

[illegible]

[illegible]

# APES
# ACADEMICÆ
# OPEROSORUM
# LABACENSIUM,

*SIVE*

INSTITUTUM, LEGES, SCOPUS, NOMINA, ET SYMBOLA NOVÆ ACADEMIÆ SUB APUM SYMBOLO

**LABACI ADUNATÆ,**

*Orbi Literario Exhibitæ*

Cum

Oratione inaugurali in primo Conventu publico

Ad

**PROCERES ÆMONÆ**

**DICTA.**

K K
LYCEAL
BIBLIOTHEK
ZU
LAIBACH

Brevis in volatilibus eſt Apis, & initium dulcoris habet fructus illius. Eccl. 11. v. 3.

*Cum licentia Superiorum.*

---

*LABACI,*

Ex Typographéo Mayriano Inclyti Ducatûs Carnioliæ.


NOBIS ATQVE ALIIS
OPEROSI
And. Troſt f.

IN

SYMBOLUM

# ACADEMICORUM OPERОSORUM.

SUgite, melligenos OPEROSUM Pignora rores,
E Sacra *Veterum* ſugite lecta penu.
En numeroſa thymum ſpondent monumenta ſuavem,
Inſueti Mores, Ritus, & integritas;
Diffuſi redolent *flores*, quos temporis ætas,
Aut natura recens ſeminat alma ſinu,
Exeat in liquidos, Apium inſtar, quisque labores,
Et roſeâ cæptos urgeat arte favos;
Omnibus unus amor ſtudij, labor omnibus unus,
*Veſtrum* ut mellifluas *Alvear* edat opes.
Sit ſcopus, ut ſitis VOBIS, ALIJSQUE OPEROSI,
Et vos miretur cernuus orbis *Apes*.
Quos dabitis, fœtus, *Muſis* ſua mella propinent,
In fœdos *Momos* ſpicula digna vibrent.

# LEGES ACADEMICÆ.

## I.

SIcut omnis Academiæ finis eſt rei litterariæ exercitatio, & incrementum; ſic hujus Labacenſis, quæ Apum gaudet Symbolo, præcipuus, & ſingularis erit, inſtar apum, diverſos Authorum Flores delibare, & in unum velut alveare conferre.

## II.

Liberum autem erit Omnibus, & ſingulis, tam Patriotis, quam Exteris, litterarum ſeu Humaniorum, ſeu Altiorum Cultoribus, huic Academiæ ſeſe aggregare.

## III.

Qui porrò nomen ſuum huic inſtituto dare voluerit, Academiæ Præſidi, vel alij ex Academicis deſiderium ſuum perſcribet, & ſi in communionem receptus fuerit, Symbolum aliquod ſibi ſeliget, ad A-

pes alludens, Noménque aliquod Academicum aſſumet, quo vel ſolo, vel Cognomini proprio conjuncto, ſi quid typis vulgaverit, utetur.

IV.

Ut verò labor privatus ſingulorum in bonum publicum cedat univerſorum, Omnium Academicorum cura erit, quæ pro genio, vel profeſſione ſua notatu digniora in libris compererint, annotare, & notas ſuas ſingulis annis Academiæ exhibere, quæ notæ deinde ab uno ex Academicis in Ordinem redactæ prælo ſubijcientur cum titulo: Eruditiones Operoſorum Labacenſium Theologicæ, Juridicæ, Medicæ, Politicæ &c.

V.

Ne autem in his collectationibus ordo Chronologicus turbetur, ſtudebunt primo anno ea ſubmittere, quæ primo poſt natum Chriſtum Seculo acciderunt in materia Theologica, Juridica, Medica, ſeu alia, quam terunt; Secundo anno, quæ Secundo Sæculo, & ſic deinceps, ut unum Sæculum poſt aliud imprimatur.

VI.

Penes hanc curam communem præfatæ collectationis, cujus occaſionem cuivis facilè præbebit pro-

pria profeſſio, allaborabit quilibet aliquod opuſculum in materia ſibi bene viſa pro genio, & ingenio ſuo typis parare, & poſtmodum ab Academiæ Cenſoribus reviſum edere.

VII.

In quem finem præter Præſidem perpetuum præſentium Academicorum votis electum, ſeu eligendum, cujus officium erit Academiæ præſidere; & proſpicere, conventus indicere, dubia decidere, ac Vice-Præſidem in ejus abſentia, vel deceſſu munus ſupplentem; nec non Notarium, cujus curæ erit geſta Academiæ regiſtrare, Sigillum, & Symbola cuſtodire &c. tres erunt Operum prælo paratorum cenſores, unus ex Theologica, alter ex Juridica, tertius ex Medica Facultatibus.

VIII.

Ut autem ſenſim Litterarum Amatoribus debita paretur ſupellex, parabitur ex munificentia Academicorum Bibliotheca publica, ad quam Omnibus patebit acceſſus, & pro ea conſtituetur Bibliothecarius Librorum curam habiturus, & de ijs rationem redditurus.

IX.

Quater ad minimum in anno habebuntur Conventus privati, ubi, & quando Præſidi, vel in ejus defectu

ſectu Vice-Præſidi viſum fuerit, ad quos diligenter comparebunt Academici præſentes, in eíſque deliberabunt de rebus ad Academiam Spectantibus, & de materia in publico dein conventu pertractanda. Conventus autem hic publicus ſemel in anno inſtituetur, ad quem invitabuntur Proceres, & Nobilitas Provinciæ, aliíque Eruditionis Cultores, & in eo pro re nata, & circumſtantia temporis recitabuntur diſcurſus Academici, aut aliæ eruditiones.

# ORATIO INAUGURALIS

*Inter*

# OPEROSOS TINNULI.

FAtidicos vates, Phæbadéſque, Haruſpices, Augurésque ea de cauſa ſuperſtitioſa colebat Gentilitas; quòd non tantùm, ſiquid præter ſolitum & inopinatò, domi ſive foris, Pacis Bellive tempore eveniret; verùm etiam ſiquid ſecundùm naturam, his tamen vel illis in circumſtantijs, tali aliove modo fieret, prompta deſuper pronunciarent oracula monita Deorum edicendo, deque futuris eventibus edocendo. In cunctis ejusmodi monitorum, & eventuum oraculis ſpecificè enarrandis, proh quantus! imò verò impar omnino forem: Nec tamen, dum Academicarum apum examen coràm conſpicio, abs re me facturum credo; ſi, quid ex Augurum mente apum olim examina portenderint? paucis commemoravero. Bello Punico ſecundo, quòd militaribus ſignis inſederint, imminentem temerario Duci cladem prædixerunt: (a) Eadem glomerata intra vallum, in campis Philippis viſa M. Bruto, & C. Caſſio ingentis ſubſecutæ ſtragis omen fuêrunt: (b) Cn. Pompeium Magnum, ne cum C. Jul. Cæſare ultimam belli fortunam experiretur, ſigna

(a) L. Jul. Florus de geſtis Rom. lib. 2. cap. 6. & Jornand. de regn. & temp. ſucceſſ. lib. I. (b) Plutarc. in M. Bruto



gna

(c) Valer. Max. lib. 1. cap 6. gna obſcurando fruſtra commonuêrunt: (c) Quòdq; faſtigio Ca-
pitolij M. Aſinio, & M. Acilio Coſſ. inſederint, mutationem
(d) C. Cor. Tacit. Aña-lium lib. 12 rerum in deterius portenderunt. (d) Econtra verò, quòd Hiero-
nem parvulum, in ſylvis expoſitum, humanæ opis indigen-
tem melle ſuo multis diebus aluiſſent, eidem regnum, quo
(e) Juſt. in Trog. lib 23 poſtmodum Syracuſis potiebatur, præſagiebant. (e) Platoni iti-
dem, ex quo ejus in cunis dormientis labellis mel inſeruerant,
ſingularem eloquij ſuavitatem ore ejus emanaturam prædivina-
(f) Valer. Max. lib. 1. cap. 6. bant: (f) Demum etiam apum examen, Æneæ ſummam rerum
prænotaſſe perſpectum eſt; etenim cùm apicem Lauri (quam
Rex Latinus Lavinium condens in penetralibus invenerat, Phæ-
bóque ſacraverat) advenientes ex ijsdem, quibus Æneas, par-
tibus apes obſedêre, *continuò Vates externum cernimus inquit*,
*adventare virum*, *& partes petere agmen easdem partibus ex*
(g) P. Virg Maro Æne-idos. lib. 7. v. 57. & ſqq. *ijsdem*, *& ſummâ dominarier arce.* (g) Hæc cuncta ſuper-
ſtitioſæ Gentilitatis ex apum examinibus præſagia ſi perpendo,
ſolùm examen Æneæ feliciter prodigioſum cum Academico
hoc apum examine non inconcinnè convenire video: pro
(h) Natur Hiſt. lib. 15. c. 30. Lauro enim, quam C. Plinius ſecundus (h) paciferam, & quietis
eſſe indicium aſſeverat, locum ipſum, in quo Æmona noſtra
ſita eſt, per hypallagen agnoſco: ſiquidem Jaſon hìc primùm,
Æeten Regem, ſe ob raptum aureum Vellus perſequentem de-
clinans, hìc, inquam, primùm quietem, ceu laurum reperit,
requievit, hyemansque, quemadmodum Latinus Lavinium,
(i) Sozom. Hiſtor. Ec-cleſ. lib. 1 c. 6. Zoſimus 5 xxix. ſic ipſe Æmonam condidit. (i) In hac ergo Lauro, dum ex va-
rijs Patriæ partibus Apum examen conſediſſe conſpicio, inſi-
ſtendo augurum exemplo, ſummum quidpiam, quod Patriæ
præaugurer, haberem; aſt ſacra me vetat Pagina. (k) Nec tamen
(k) Levit. c. 19. v. 26. AA. me omnino taciturum credite; ſiquidem, dum augurari
non licet, aliquid ſaltem prudenter concludere ſuperſit. Lo-
quar ergo, quantùm tantilla mea prudenter concludendi ſup-
peditabit capacitas, & quid ex hoc adunato Academicarum
Apum examine NOBIS ATQVE ALIJS ſperandum ſit, bre-
viter pro modulo meo perſtringam.

Apum

Apum Academicarum, Operoſorum, inquam, Labacenſium ſub Apum Symbolo adunatorum hæc eſt ſtatuti ſum̃a; ut quemadmodum Apes è floribus mella legunt ad alveare ſuo, humanóque uſui invehenda; ſic & Operoſi delibando Authorum flores, ſuccos ex his optimos eo fine ſeparant, ſeponúntque, ut ſuo non minùs, quàm aliorum commodo, & utilitate in unum velut alveare coadunent: Id quod Literario orbi hoc apum mel è floribus collectantium, & ad commune alveare conferentium ſymbolo innuunt, & lemmate hoc: NOBIS, ATQVE ALIJS deſignant. Intellexiſtis modò AA. Academiæ hujus inſtitutum: hoc penitiùs tantiſper perpendite, & profectò alijs non minùs, ac Academicis utiliſſimum pleno ore confitebimini. Niſi fortè quisquam neget Academicis emolumento eſſe, ſi eorum quisque ſcientiam, quam aut pro genio, aut pro profeſſione ſua in delicijs habet, vel ab ipſa origine unà cum ſuo progreſſu de tempore in tempus, cumque omni acceſſu & perfectione, ſenſim ſine ſenſu eruat, & aſſequatur, nobiliſſiméque in illa excolatur: aut niſi præterea etiam quispiam exiſtimet alijs necquicquam conferri, eſto fermè omne id, quod volent, uno quaſi obtutu nullo negotio perfectè aliquando poterunt complecti. Sanè neminem ego video, qui hujusmodi aliquid mente volveret; video autem cunctos ſummam illam ab Academicis promanaturam agnoſcere utilitatem. Et verò dicite, an non hæc tanta undequaque utilitas, Academicis tam probè perſpecta moræ eos impatientes reddet. ac operabitur; ut ad operandum quantocyùs ruant, quò citiùs, quæ in delicijs, eruant.

Utilitatem conſequitur ſuavitas, id quod mecum judicabitis, opinor, omnes. Quid enim in hac mortali vita paucorum luſtrorum homini poſſit eſſe delectabilius? quàm tot anteactas ætates perſpicaciſſimè perluſtrare; quid quandóque, erravi, quid quandocunque geſtum eſt, recolere; tot ſæculorum, tam multificariàm acta, in unam quaſi imaginem coacta, veluti in ſpeculo, nullo prorſus, ab antenatis tamen multoties exper-

 to pe-

to periculo admirari: Quid quòd etiam ſæpè ſæpiùs exinde futura præcaveri, & à ſimiliter actis prævideri valeant, & ſic quaſi in ipſa poſterorum ſæcula abeatur. Certè certè, ſi ita à natura comparatum eſt, ut propoſita rei etiam unicæ ad genium accommodæ proſa mirùm quantùm humanum oblectet animum, oblectandóque rapiat: quidni etiam Academicos, quòd aliunde ſuo tantùm quisque pro genio operetur, hæc tanta, & tam delectabilis rerum à prima origine, in futurorum quoque cognitionem propendens notitia adeo oblectabit, rapietque; ut paulò poſt complura, eáque rariſſima pro ſuo quisque genio, aut profeſſione exquirant, è tenebris in lucem proferant, & publici Juris faciant ſuo, aliorúmque quorumlibet oblectamento.

Jam neſcio, quemnam mihi ad aures ogganire audio. Inſtitutum hoc, inquit, utilitatem, & oblectamentum ingens quidem adferre poſſe haud inficior: Aſt vereor, ne, dum ſinguli Academici ſuis quique diſtrahuntur ſeu publicis, ſeu privatis, ſeu utrisque etiam occupationibus, curis, & laboribus, in collectando nimiam forſan difficultatem experiantur, defectúque ſi non ſingulorum, ſaltem complurium, ſpe ſua univerſi deſtituantur. Verùm, næ mihi tu, quisquis etiam es, graviter hallucinari videris. Quapropter, & ut ipſusmet cognoſcas, temetipſum obteſtor, edic: Anne tu ille, qui adeò iners es, ūt, dum ſaltem unius negotij te hominem eſſe oporteat, nec illius negotij homo ſis? hoc vix mihi dixeris: ulteriùs quippe tecum mihi nec hodie, nec cras quicquam foret. Quod ſi ſaltem unius negotij homo es, in illo utique aliquid aut jam ſcies, aut ſcire ſtudebis; & vel hinc aliquod ſpecimen haud difficulter poteris exhibere. Si proinde tu, qui dubitando de alijs de te diffidis, aliquid ſaltem nullo negotio præſtare potes: quâ non facilitate præſtabunt plurima, quos coràm conſpicis, Academici? utpote qui ab ineunte jam ætate ſcientijs & libris dediti, quorum proprium ingenio ingenua quæque aſſequi, quibus nulla ſine lectionis fructu, ceu Apelli ſine linea dies præterfluit,

terfluit, & quos doctrinam præ auro, aliunde pro illa conſequenda etiam copioſè profuſo elegiſſe novimus. His certè ſumma, ſed, amabò, quantilla difficultas erit? ſi, quæ jam aliunde nôrunt, & quæ per occaſionem adhuc legiſſe contigerit, fracto, ut ajunt, calamo, annotaverint, notáſque ſuas annuatim exhibuerint, ab alio in ordinem redigendas.

Video jam neminem non aſſertam à me rei facilitatem ſatis, ſuperque agnoſcere. Aſt demus etiam haud levem intercedere difficultatem: hæc certè, quantacunque etiam ſit, minor eſt, quàm, ut propenſos ad honeſta Academicorum animos valeat abſterrere: ut qui probè nôrunt illud Poëtæ: (l) *Vivitur ingenio, cætera mortis erunt*: & iterùm illud: (m) *Ingenio ſtat ſine morte decus*. Nullis pro firmandis hiſce Poëtarum veritatibus egeo probationum ſulcris, in comperto quippe eſt innumeros omnino, etſi jam pridem, de univerſali ſtatuto, ex oculis noſtris, & antenatorum noſtrorum ſublatos, ob prodita ingeniorum ſuorum ſpecimina, etiamnum in literario orbe vivere, perenniterque victuros eſſe. Sed mittamus & hæc: hoc ſolùm, binos vobis æqualis undequaque ſtatûs, nobilitatis, & dignitatis ante oculos veſtros proponatis velim: quorum tamen alter literarum ſcientiâ ſit inſignis, alter rudis, & illiteratus. An non verùm? quod ille ſummo in pretio vobis, & honore erit? iſte vix non contemnetur. Quid ergo, quantúmque honoris conferat ſcientijs addictum eſſe, operámque dare ſat jam luculenter conſtat: Luculentiùs tamen adhuc exemplo ſuo docuit, ut pleróſque ipſius Succeſſores, ipſúmque noſtrum hodiernum Auguſtiſſimum Caput ſilentio pertranſeam, luculentiùs, inquam, tamen adhuc exemplo ſuo docuit primus ille Romanorum Imperator, C. Julius Cæſar, qui, cùm in militia nulli ſecundus, quin Suapte virtute, & armis univerſum jam conſecutus eſſet Romanorum Imperium, literis quoque & ſcientijs ſummopere excellere, Ingenijque ſui radijs apud poſteros æternùm corruſcare contendit: ut vel ſic *ex utróque Cæſar* eſſet, cunctóſque erudiret quasvis etiam jam

(l) Ovidius.

(m) Propertius. l. 3.

 obtem-

obtentas prærogativas ſcientijs quoque eſſe cohoneſtandas, perpetuandáſque. Plura in hoc genere proferre ſuperſedeo; cùm à tanto magiſtro edoceri ſit perquàm ſatis.

Hìc tamen adhuc nondum ſubſiſtere, ſed ad Academica quoque veſtra nomina digredi libet Coacademici eruditiſſimi. Quid per hæc in ſignificatione ſua denotare velitis? nemo non videt, nemo non aſſequitur. Aſt, quid ijſdem manentibus, translocatis tamen anagrammaticè literis ominentur & portendant? videamus. Et ut à capite exordiar, reliquos enim alphabetico Academici nominis ordine percurram, ut, inquam, à capite exordiar, RESOLVTVS nonne ROS ELVTVS? Quid autem Academicis apibus rore hoc poſſit eſſe charius? Nam *floribus inſidunt varijs, rorémque madentem ore legunt.* (n) ACUMINOSVS an ab aculeo extimeſcendus? Eccur? hujus enim illi non niſi IN CAMO VSVS. Novit quippe: *ſpicula dum exacuũt, animas in vulnere ponunt.* (o) ADVLTVS *Educit fœtus,* eóſque quaſi quodam LVSV DAT, VT LVDAS: *luſu* inquam *dat*, quis enim luſus ſit delectabilior, quàm cùm apum *nare per æſtatem liquidam ſuſpexeris agmen* (p) Dat &, *ut ludas* lucro indubio: *tinnitusque cie, & Martis quate cymbala circum, in tua more ſuo ſeſe cunabula condent.* (q) CANDIDVS Operoſis nobis propriè DICANDVS fuit, quòd DISCVNDA ſit proditurus Nobis átque alijs profutura. DEVIVS, dum ab hoc ad illum, & ab illo ad alium florem divolitat, mella pro alueari noſtro extracturus, devius non eſt, niſi DE VISV, & cùm hinc tantùm te devium negem, parce! imò perge ulteriùs ſic deviare, I DE VSV & more tuo, ſpirantéſque mella flores melle VIDVES. DELICATVS apis EST LVCIDA, SAT LVCIDE DAT SE LVCI. EXQUISITVS apprimè novit laboris ſui QVIS EXITVS? idcirco VIX QVIS EST in libris floſculus, ex quo mella non legat. FIDVS SVI F. D. (r) in operibus ſuis DIℲVS (s) quidni ergo rectè dixerit Virgilius (t) *eſſe apibus partem Divinæ mentis*. FOECVNDVS fœnus ſpondet, hoc à te ſperamus, & expectamus, pariterque

(n) Grad ad Parnaſſum.

(o) P. Virg. Maro Georg. lib. 4.

(p) Idem eodem lib.

(q) Idem ib.

(r) per F. D. fides data ſignificatur ita Calep. in dic. lit F.

(s) Ⅎ pro V antiqui acceperunt. Id. ibid.

(t) Georg. lib. 4.

terque te adhortamur: DVC FOENVS. Jam cum mortuo, quis hic? GELATVS, jam, inquam, cum mortuo mihi ſermo eſt: VT LEGAS, & alveare noſtrum Academicum melle complere adjuves, adſcitus es: ſed eheu! ſpe fruſtrati ſumus, etenim morte præreptus, jam inter mortuos TV ALGES. Ab algente ad æſtuantes deſiderio mellis, à mortuo ad vivos redeo. GENEROSVS verè apis eſt operoſa ORE SVGENS, de te ſecuri ſumus, quòd ONVS GERES. Indefeſſo nunc loquor: INDEFESSVS indefeſſus SI ES, FVNDES fragrantia mella, DENSE FVSIS & ipſe DENSVS FIES, néque INDE FESSVS eris. INDIFFERENS I FER FINDENS, & INFER FIDENS. I, *quo te fortuna locabit*, *fer*, quod mellei è floribus *findi* poteſt, ac *fidens* ad alveare noſtrum *infer*. INERMIS IN MERIS operatur, nec enim apes, dum mella legunt, aliena á melle miſcent melli, ſed *puriſſima mella ſtipant*, *& dulci diſtendunt nectare cellas*. INNVBVS BIN-VNVS eſt, quidni ergo tantæ ſit expectationis, ut binorum inſtar mellificet. INTENTVS, quia multifariàm *nobis átque aliis* prodeſſe ſtudes, me Judice TV NITENS. PROVIDVS & ipſe apum uſum, quo mellificaturæ prodire aſſolent, perſpectum habet, hoc ergo TV VSV PRODI, & DIV PVROS ad alveare confer favos. RECTVS, CVR EST? ut melligerando CVRSET, & TRVCES (nam & hujusmodi inimicos apes habent) decurtet, curſes ergo pariterque TRVCES. CVRTES. SEDATVS, & tu nobis ES DATVS, ut mellificare STVDEAS, & ad alveare TVAS DES mellis opes. SEDVLVS LVDVS ES, *ludum*, temetipſum inquam aperueris, dum docto tuo calamo *nobis átque aliis* profueris. SOLLICITVS, quos novit melliferos ILLOS CITVS adoritur flores, iisque innocuâ deprædatione quaſi LVSIS, COLIT Cados noſtros, exemplóque commonet VT SIC ILLOS cuncti colant. TACITVRNVS, VT SANCITVR, CVR SAT, VNIT, *curſat*, ubi mella pro alveari noſtro ſunt accommoda, quæque diſperſim reperit, in unum *unit*. TINNVLVS demum NIL NVTUS prodeſſe ſatis ſuperque

(u) Virg. Georg. l. 4.

perque innuit: nec enim à nutibus, ſed ab *operis*, & *operibus* *operoſi* dicendi ſunt operoſi.

Audiiſtis hactenus AA. non tantùm quid Academicis ſuis nominibus ſpondeant Coacademici Operoſi, ſed percepiſtis etiam quid tum ob ingentem eorundem, quam opimè conſequuntur utilitatem; tum ob ſummam, quam in operando experiuntur, facilitatem; tum ob eximiam, quâ copioſiſſimè exinde fruuntur, delectationem; tum demum ob inſignem, quâ ingenuos quosque duci par eſt, honeſtatem, ab ijsdem ſperare, & expectare poſſitis, imò debeatis: niſi ex jam commemoratis cauſis ad operandum Academicos Operoſos haud moveri, ipſismet per injuriam imputare velitis. Quod cùm de veſtrûm nemine AA. in re tam luculenta, rebusque ſic ſe, ut dixi, habentibus ſuſpicari auſim, ſermoni meo finem pono, hoc pro coronide Academicorum Operoſorum ſymbolo anathema appendens:

1. En Apes ACaDeMICæ,
2. MeL sIne feLLe DefLorantes,
3. Per has ÆMona faCta DoCtIor
4. FVLgebIt,
fVLgenDoqVe
Vero gaVDIo eXsILIet.

DIXI.

CA.

# CATALOGUS
## DD. ACADEMICORUM OPEROSORUM LABACENSIUM.

### *PRÆSES ACADEMICUS*

Reverendiſſimus & Illuſtriſſiimus DD. JOANNES BAPTISTA PRESCHERN, Carn. Rattmanſtorffen. SS. Theol. Doct. Cathedralis Eccleſiæ Labacenſis Præpoſitus, nec non Inclyt. ſtatuum Carnioliæ Deputatus,

*Dictus* - - *Reſolutus.*

Reliqui ſequuntur ordine Alphabetico.

D. ANTON. FRIDERIC. à Raab, in Ravenhaimb. Carn. Labac. Jud. Præt. aſſeſſor, & Capit. Carn. Secret. *dictus.* - - *Rectus.*

D. CAROLUS HENRICUS SCHWEIGER, Carn. Labacenſis. Jud. Prætor Aſſeſſor. - - - - *Taciturnus.*

D. CAROL. JOSEPH. KHAPPUS de Pichlſtain, Carn. Stainpichlen, Secret. Vicedominatus. - - - *Exquiſitus.*

D. FRANC. ERASMUS ab Hochenwart, Carn. Gerlachſteinen. Incl. Duc. Carn. Dapifer hæred. & Jud. Præt. Aſſeſſ. - *Innubus.*

D. FRANCISCUS WILHELMUS à Zergollern. Carn. Labac. Provinc. Carnioliæ. *Delicatus.*

D. GEORGIUS ANDREAS GLADITSCH. Flum. J. U. D. Cathed. Eccleſ. Labac. Canonicus. - - - - - - *Inermis.*

† D. GEORG. ANDREAS L. B. à Gallenfels, Carn. Labac. SS. Theol. Doct. Archidiac. ſup. Carn. - - - - - *Gelatus.*

D. GEORGIUS SIGISMUNDUS POGATSCHNIG. Carn. Labac. Med. Dr. *Sollicitus.*

D. JOANNES ANDREAS de Coppini. Carn. Labac. Prov. Carnioliæ. - *Adultus.*

D. JOAN. ANTON. THALNITSCHER, de Thalberg, Carn. Lab. SS. Th. Dr. Cath. Eccl. Labac. Decan. & Vicar. Generalis. *Sedulus.*

D. JOAN. BAPTIST. de Werloſchnig. Styr. Praſpergen. Medic. Phyſ. Riedenſis in Bavaria. - - - - - - *Fœcundus.*

D. JOAN-

D. JOANNES BERTHOLDUS ab Höffer, Carn. Labac. Jud. Præt. Aſſeſſor. - *Devius.*

D. JOAN. CASPAR. CORUSI, Carn. Labac. Med. Phyſ. Labacenſis. - - *Acuminoſus.*

D. JOAN. DANIEL ab Erberg. Carn. Gotſchevien. Jud. Præt. Aſſeſſor. & Suprem. Secret. - - - - *Fidus.*

D. JOAN. GEORG. GOTSCHEER. Carn. Rudolphswerten. J. U. D. & Crim. Cav. Jud. - - - - *Candidus.*

D. JO. GREGOR. THALNITSCHER, de Thalberg. Carn. Lab. U. J. D. & Vetuſtiſſ. Acad. Gelator. Bononiæ Academicus. *Providus.*

D. JOANNES JACOBUS SCHILLING, Carn. Labacen. SS. Theol. Doct. Paroch. Civit. Crainburg. - - - *Sedatus.*

D. JOAN. RUDOLPH. CORADUZI, L B. ab Halberſtain. Carn. Lab. Jud. Præt. Aſſeſſ. *Generoſus.*

D. JO. STEPH. FLORIANTSCHITSCH, de Grienfeld. Carn. Lab. J. U. D. Incl. Duc. Carn. Adv. & Supr. Secret. Adjunct. - *Tinnulus.*

D. MARCUS GERBEZIUS. Carniolus Sitticenſis. Med. Phyſic. Labacen. & Impe- Leopol. Acad. Nat. Curioſ. Academicus. *Intentus.*

D. MARCUS JOSEPHUS à Perizhoff. Carn. Labacen. Archivij Inclyt. Duc. Carnioliæ Præfect. - - - - *Indifferens.*

D. MAXIMILIANUS LEOPOLD. RASP. Carn. Locopolitan: SS. Theol. Doct. & Paroch. Civit. Lythopolis. *Indeffeſſus.*

*Sequuntur Eorundem Symbola, & Symbolicæ alluſiones.*




# ALLUSIO,

*Seu*

## EPIGRAMMA AD SYMBOLUM.

ARdua virtuti via nulla, nec ulla labori
 Semita, cui ſtipat mens *Reſoluta* manum.
*Nec Spinæ terrent*; Spes, & labor omnia vincit,
 Nam ſemper comes eſt, proxima ſpina *Roſæ*.
A ſpinis ipſis, quem nulla pericula terrent.
 Ut mel *Apes*, roſeas fert *Reſolutus* Opes.




## *Alluſio ad Symbolum.*

QUæ vaga per campos volitat, ſpiniſque, roſiſque
　　Sidit, an arte ſuâ, dic mihi, lædat apis?
Non lædit, cùm mella legit: *Nec lædo legendo.*
　　*Rectus*, dum legum Jura verenda lego.
Nec prece, nec precio moveor, Rectique tenorem
　　Non odium, nec me flectere cogit amor.




## *Alluſio ad Symbolum.*

NOx ubi jam media eſt, ſomnosq; ſilentia ducunt
 Tunc reſidet volucris, tunc requieſcit apis
Melle ſuo ſatures, *cum ſe poſuêre quieſcunt*
 Solum, cum doctâ ſtat bona mente quies
Inquiras *Tacitum*, *ſapiens Taciturnus* habetur
 Cuncta racet *ſapiens*, cuncta tacendo *ſapit*.




## *Alluſio ad Symbolum.*

UT ruit in varios flores apis, inſidet uni,
Qui latè reliquos inter, odore fragret
Sic *Exquiſitus* libans tot mella, propinat
Quæ fragrant Sophiæ non niſi plena thymo
Non ſatur, uſque ſuum ſtruat, ac derivet in æva
Alvear, an non hoc *præ reliquis redolet.*




## *Alluſio ad Symbolum.*

TErga dabit thalamo, qui tendit brachia muſis,
Tædia ſunt Tædæ, ſunt juga, jura thori;
Connubij ſocium ( *illum apibus mirabere morem* )
Oderunt fœdus, ne otia fæda terant
Non ſubit ægra thori juga, ſed ſub codice ſudat
*Innubus*, ut ſugat mellea jura fori.




# *Alluſio ad Symbolum.*

ARs quæſita gregem, *Regem clementia ſignat*,
Marte fel, arte melos ; hic tegit , ille legit.
Rex legem parit, & grex legi paret, *Inermis*,
Rex ſine felle gregem , non ſine melle regit.
Lex eſt, ut roſeum mel cum grege Rex det ; *Inermis*
Se legi ſubdit Rex, ſua mella dabit.




## *Alluſio ad Symbolum.*

EN! ubi jam teneris acceſſit firmior annis
Ætas, & validâ dote juventa viget
*Educunt fœtus*, propriæ virtutis honores
Quaque, Parens factus, prole ſuperbit ovans,
Sic ſoboles monſtrat, quâ ſit ab origine nata:
Magnus erat genitor, natus *Adultus* erit.

D




# *Alluſio ad Symbolum.*

SPiritus intus agit, juſto qui tempore clauſtra
Deſeret inſtar apis, prataque docta petet
Succos flora ſuos ubi large fundit amænos.
Aluear hosque tui colliget ingenij.
Sic nunquam poterit *Fœcundus* melle carere
Sic nobis omni tempore *mella dabit.*




## *Alluſio ad Symbolum.*

MObile fit fixum, ſi fixum mente ſubaudis
  Eſt fixum cælum, mobilis omnis homo.
Pulvis homo fuit, eſt, & erit, ſed mente ſubaudi
  Pulvere *Sedatus* fixus in axe manet.
*Pulvis apes reprimit*, capiunt aſt inde *quietem*,
  Poſt cineres capiet ſede ſedere poli.




## *Alluſio ad Symbolum.*

Generoſus, Anag. { *Geres onus* / *Sugens ore*

Suave *gerunt*, vagæ *onus*, generant dum munera mel.
Aſt grave, cum gnavæ lecta tuentur, Apes: (lis
Mox lædunt, *pulchramque petunt per vulnera mortem*
Ut ſint illæſi, quos genuere, cadi.
*Sugens ore*, favos lege, læſos morte tuêre
Pulchrâ, utrumque *geres* ſic *Generoſus onus*.




## *Alluſio ad Symbolum.*

HEſperijs niveo, quæ creſcunt vertice campis
Candida flori-legens, lilia quærit apis.
*Natura dictante feror*, qua candida corda
Florent, hæc adamans, hæc mea muſa colit.
Candida nonne animi candorem lilia monſtrant,
Candidus eſt muſis, *Candidus* inter apes.




## *Alluſio ad Symbolum.*

REgia ſtant tutò, fidis comitata Miniſtris
Sceptra, nec inſidias, bella, necemque pavent;
Fida ſuum dextris Apium *Regem Agmina ſtipant*,
Fida manus Regi, ſpicula nulla Salus.
Melliferi Regni comes Alveo brachia pandit,
*Fidus*, ut ambroſium fœdere vectet onus.




# *Alluſio ad Symbolum.*

NOmina, lausque tibi cupis, ut poſt fata ſuperſint
Nunc fac virtutis ſint tibi mella dapes.
Non vepres apibus, ſed lilia paſcua præbent
Non vitia, aſt virtus ſunt alimenta probis.
Improba fac fugias, ut ſis *ad Inania nunquam*
*Intentus*, Nobis ſic *Operoſus* eris.




## *Alluſio ad Symbolum.*

INdefeſſæ ut apes *Saltus*, *Sylvasque peragrant*
Purpureiſque ruunt in ſola culta roſis:
Cerea caſtra locant, cava dum cunabula colant
Ut mellis tumulent, quos cumulâre, favos
Herovum ſtirpes cavat *Indefeſſus* humatos
Ut roſeo feſſos ſtipite ſtipet Avos.




## *Alluſio ad Symbolum.*

DOcta phalanx apium ſuccis alvearia complet
  Certatim formans aurea mella cadis,
Ac expers hyemis venturæ *condit in ævum*,
  Sic ſolidis ſtudijs *Providus* invigilat:
Congregat ingenuas ſub *mellea* tecta camœnas,
  Allicit, & fœdus *primus* inire vocat.

F




## *Alluſio ad Symbolum.*

*Indifferens. Anagr. Infer Findes.*

NUnc huc, nunc illuc agitatas dividit alas
 Anxia, dum florum munera quærit apis!
Nec mora, figo pedem, *quò me fortuna locabit*
 Quæ mihi ſpes fructûs? mellea turba refert:
Rore mades, ſuccum ſtilla, mel in alvear *infer*,
 *Findes*, nec dubita, nomen in ævatuum.




## *Alluſio ad Symbolum.*

N*On perit ulla dies*, quâ non quæſita reponat
Quæque favis apium gens *Operoſa* ſuis;
Omnibus unus amor, creſcit, labor impiger omnes
Exercet, certo ac ordine fervet opus.
*Sedulus* Arte cavat cellas, ſibi tectáque condit
Quo ſua, preſſa roſis, mellea dona locet.




## *Alluſio ad Symbolum.*

INſtar apum doctos Senecâ decet eſſe docente,
Ut labor ingenij dulcia mella ferat.
Quare tinnitu, ſed honoris, *Tinnulus* iſte
*Congregat examen* gens *Operoſa* tuum
Iſt hunc tinnitum ſed vix perceperis ante,
Quam tuus ingenij det bona mella labor.




## *Alluſio ad Symbolum.*

*Acuminoſus* Anagr. *novi muſcas.*

Cur reſes hic hæres? cava circum alvearia muſſans
Inquit api fucus: rus pete, mella leges;
Excubo, reddit Apis vigilans: *me tangere noli*
Quæ patulas tueor, mellis amore fores,
Sat *novi muſcas*, apage, haud impunè recedes,
Mellea qui turbas caſtra, *minabor acu.*

## *Alluſio ad Symbolum.*

Gelatus, Anag. { *Sta, luge* / *Tu alges.*

SI quod Apes, brumæ memores, in tecta reponunt
  Vere *mel* emulſum, *ferrea cogit hyems.*
*Sta, luge*, ora riga! riget, impia fata! *Gelatus*
  Qui roſeas veris rore rigavit apes;
Tu tellure *Alges*, & laus tua nectare candet
  Toto & mellifluus vernat in orbe labor.

G

## *Alluſio ad Symbolum.*

NOſtræ diva duplex menti eſt infuſa facultas
Una legit *verum*: colligit una *bonum*
Mens eſt *inſipiens*, quæ ſingula credit, & optat
*Audax*, quæ temerè ſpernit, & omne negat
*Selectis alitur*, *teneræ* cui mente *camænæ*
Hic verus *ſophus* eſt, hic gravis eſtque *Cato.*

## *Alluſio ad Symbolum.*

HEu me! nullus *adeſt? eſt.* devio! ſigna *refer? fer:*
Hæc eſt, quam calcant Agmina, *Semita? Ita;*
Melle *redundat*! *dat.* via ſit licet *aſpera? Spera*
Fors *Operoſum*, Echo, me fore *reris? eris.*
*Agmina quærit?* it. Hinc monumenta *parabit? arabit*
*Devius*, Ibo; vale flebile mitto *tibi*! *I.*




## *Alluſio ad Symbolum.*

SEmper apis fuerat ſurgentis ſolis amica
*Solque* amor eſt *licitus* mellificantis apis.
En! ſubito lectura venit, vix ſurgit Apollo
Imus *apollinei* nectaris urit amor.
Colligit inſignes, quales *amor urget habendi*
*Sollicitus* flores: ſpes bona mellis erit.

K. K.
LYCEAL
BIBLIOTHEK
zu
LAIBACH